Ferdinandus Dei et Apostolicae sedis gratia Archi-Episcopus Coloniensis S. Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius et Princeps Elector Episcopus Monasteriensis Administrator et Coadjutor Hildesien. Paderborn. Honorabilibus religiosis et devotis Nobis in Christo Dilectis Abbatibus et Abbatissis, Prioribus et Guardianis nec non matribus et aliis Sanctimonialium praefectis cujuscunque ordinis salutem in Domino.

Cum pro officii ratione debeamus curam gerere, ut omnia ordinate et sine reprehensione ad aedificationem fidelium in Ecclesia et Dioecesi Nobis subjectis

fiant, secundum ea praecipue quae á generalibus Conciliis decreta sunt, et in eum finem etiam varia Decreta pro reformatione Cleri nostri Monast. publicaverimus, vos praetereundi non eratis, qui ad majorem perfectionem vocati Religiosa observantia, et eximia in Deum et proximum charitate multum splendoris Ecclesiae Dei et plurimum utilitatis bono publico afferre potestis. Itaque praehabito concilio cum Venerabili capitulo nostro Cathedralis Monast. Imprimis vobis et regularibus, tum viris quam mulieribus in monasteriis et locis piis Nobis subjectis existentibus, ordinaria, in aliis autem quibuscunque sedis Apostolicae Nobis delegata authoritate, praecipimus, ut ad regulae, quam professi estis praescriptum, vitam instituatis et componatis, atque imprimis quae ad vestrae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis conservationem, pertinent, fideliter observetis, et á vobis commissis observari faciatis. Deinde publicamus, et vobis servanda praecipimus omnia et singula, quae concilium Tridentinum de Regularibus statuit et decrevit. Quae omnia, ac si praesentibus de verbo ad verbum inserta essent, publicamus et vobis denunciamus, et ab omnibus volumus inviolabiliter observari, et secundum ea, tam

â superioribus ordinum, quam â Nostris Vicario in spiritualibus Generali, Officiali, Commissariis, Visitatoribus, Judicibus, et aliis quibuscunque procedi, judicari, et statui, non attenta deinceips excusatione vel exceptione seu protestatione cujusque, quod ea ignoraverit, omnia et singula irrita decernentes et de facto irritantes, quae contraria his quacunque praetensione siue expressa sedis Apostolicae dispensatione vel declaratione â quoquam fuerint acta; et ideo mandamus vobis, ut quam primum nostrae literae vel earum copia sub manu Vicarii nostri in spiritualibus et sigillo Curiae nostrae Monast. ad manus vestras devenerint, omnia, quae in dicto Concilio Tridentino de regularibus statuta, vestris subditis in unum congregatis, cum hoc nostro mandato denuncietis, et quod imposterum ea firmiter servari, et secundum ea procedi debeat promulgetis.

Insuper mandamus vobis, ut eo tempore, quo Novitii ad habitum et ordinem suscipiendi, vel ad professionem admittendi sunt, nulla plane convivia extraordinaria, vel saltem non sumptuosa, ad quae non ultra duodecim personae seculares invitari possint, instituant, quae tamen non tempore investiturae, sed solummodo profes-

sionis possint celebrari. In clausuram vero Monasteriorum nemini illa occasione ingressus concedatur, sub poenis canonum.

Praeterea monemus serio Guardianos et superiorum ordinum mendicantium praesertim s. Francisci, qui ex concessione antecessorum Nostrorum vel immemorabili consuetudine Dioecesin hanc obire solent, statis temporibus pro colligendis eleemosynis, ut inprimis curent tales viros in eum finem et non nisi binos emittere, qui vere religiosi sint, et quorum modestia subditis nostris ad compunctionem cordis stimulus sit et occasio elevandi mentem in Deum, qui servent sua certa tempora, et illis diebus, quibus Conventuales minoritae solent circumire aliquam parochiam, abstineant ab ea minores de observantia et vice versa; Neminem tamen ita emittent sine litteris obedientiae, in quibus expresse habeantur termini eleemosynares, et si sacerdotes et approbati fuerint, quod habeant á nostro in spiritualibus Vicario potestatem, confessiones audiendi et verbum Divinum praedicandi; sine talibus litteris, et quicunque alias solus sine comite sibi adjuncto venerit, illis Pastores vel quicunque alii non permittent eleemosynas

petere, vel etiam quodcunque munus sacrum in Ecclesia vel extra peragere. Non quod intendamus eleemosynas religiosis mendicantibus inhibere, sed scandalis, quae hactenus GRAVISSIMA deprehendimus, obviare.

Haec vobis indicenda erant, quibus speramus vos morem promptissimum gesturos, alioquin contra refractarios et delinquentes curabimus omni meliori modo severe procedi.

In fidem et testimonium praemissorum praesentes manu propria subscripsimus, et sigillo Nostro communiri fecimus. Datae in oppido nostro Meschede, die 10ma Augusti Anno Millesimo Sexcentesimo decimo sexto.

Ferdinand mpr.

(L. S.)

Arnold Houffti mpr.

Nro. VIII.

B.

Ejusdem Decreta Reformationis concernentia COLLEGIATAS Ecclesias.

1616.

Ex Apographo p. m.

Ferdinandus etc. etc. salutem in Domino. Quod initio regiminis nostri spectavimus, nimirum ut qui in sortem Domini vocati sint, quammaxime idoneos moribus et pietate redderemus; hinc rati esse optimam regendi subditos nostros regulam, si illi, qui debent coeteris esse magistri et auctores ad salutem, in culpata vita ipsis praeluceant, et functionibus, quae ad Deum sunt, in irreprehensibiles esse debeant; et ab illa sollicitudo nostra non debet quiescere, quamdiu reperimus tam in ministerio sacro, quam in ministris, quod argui possit, quod emendare necesse sit. Hinc est quod cum absoluta visitatione Ecclesiarum hujus Dioecesis, comperissemus diversos abusus pravasque consuetudines, temporum injuria, hominumque negligentia, Ecclesias et collegia vestra occupasse, pro officii nostri ratione debuerimus ea tollere, et

secundum praescriptum sacrorum canonum praesertim Concilii Tridentini alias leges eorum loco reponere.

Itaque praehabita deliberatione cum Venerabili Capitulo nostro Cathedrali, visum Nobis in Domino, ad Dei majorem gloriam, ad cultum Divinum augendum, et disciplinam ecclesiasticam restituendam publicare, et vobis respective, quatenus unumquemque concernere possunt, sedulo servanda mandare infra scripta nostra Decreta.

Imprimis mandatum felicis recordationis Antecessoris nostri renovamus et praecipimus vobis, ne ullum imposterum provisum de dignitate, canonicatu, vel quocunque alio beneficio vel officio, ad realem eorundem possessionem admittatis, vel si eam adierit, non emancipetis, nec administrationem ei vel perceptionem fructuum permittatis, nisi prius in propria persona orthodoxae fidei publicam professionem juxta formam Pii IV. coram Decano, vel ejus loco duobus à capitulo deputatis feçerit. Nec ante eam possit quis sibi fructus ullos quocunque titulo vindicare, imo si perceperit, tenebitur eos Ecclesiae restituere; cum beneficia ad cultum divinum in quacunque

parte diminui*), serio mandamus, ut cultus divinus in omnibus Collegiatis Ecclesiis, quoad omnes horas quotidie in choro servetur, et ut quotidie duo sacra collegialiter, alterum pro defunctis, nisi festum novem lectionum aut aliud impediat, alterum de festo vel feria celebrentur. Distributiones constitui debent in omnibus collegiatis pro singulis horis et officiis divinis per totum annum, de quibus canonici duploplus quam Vicarii percipiant; absentium autem distributiones accrescere debent praesentibus. Pro praesente autem non debet haberi in aliqua hora, qui non ante finem primi nocturni, si sint novem lectionum, alias ante finem primi psalmi in choro fuisset, in sacro ante evangelium et ad finem horae vel missae permanserit.

Ad constituendas autem distributiones, inhaerendum erit Tridentini Concilii Decreto, ut tertia pars fructuum, vel quorumcunque proventuum et observationum tam dignitatum quam canonicatuum portionum et officiorum, in omnibus collegiatis separetur, et in distributiones quotidianas ad singulas horas proportionaliter inter dignitates, canonicos et vicarios dividendas convertatur.

*) Hier scheint das Zeitwort zu fehlen z. B. non oporteat.

Deputandus autem erit aliquis semper ex canonicis hebdomedarius, qui si absit, vel neminem substituerit, â decano erit puniendus, ejus tamen defectu nulla hora erit omittenda, sed poterit alius canonicus vel, nullo praesente, quilibet etiam vicarius horam incipere et psalmos intonare.

Mandamus etiam sub poena canonum omnibus qui tenentur de jure vel Ecclesiarum suarum statutis, infra proxima ordinationum tempora, suscipere ordines requisitos, nisi senio vel infirmitate impediantur, et idcirco judicetur cum ipsis dispensandum esse, quod judicium Vicario nostro in Spiritualibus committimus.

Cum propter diuturnam absentiam canonicorum et qui raro comparent, non solum cultus divinus imminuatur, sed Ecclesias etiam in temporalibus damna pati necesse sit ob defectum personarum; publicamus concilium Tridentinum et statuimus, quod imposterum canonicis non licebit ultra tres menses quolibet anno abesse sub poena â Concilio expressa, non obtenta licentianostra, vel nostri in spiritualibus vicarii, qua per quatuor menses abesse possint, quam tamen nemini sine gravi necessitate et causa prius probata per Decanum, concedi volumus, exceptis iis, quorum opera Nos in negotiis Eccle-

siae et Patriae uti tanto tempore contigerit. Propter easdem rationes constituimus, quod imposterum nullus canonicorum qui non absolverit secundum morem Ecclesiae primam residentiam, debeat ullos reditus percipere suae praebendae absentium autem reditus debent Fabricae ecclesiae pro dimidia parte, et residentibus pro altera medietate applicari.

Provisi de beneficiis simplicibus quibuscunque, si non habent aetatem vel ordines in fundationibus eorum vel Statutis Ecclesiarum requisitos, nihil imposterum de eorum obventionibus seu fructibus percipere debent. Quos omnes volumus ab aliquo canonicorum, â decano vel capitulo deputando, colligi et ad augmentum annorum redituum ejusdem praebendae seu beneficii applicari, detractis primo expensis pro officiis et sacris debitis, tunc etiam pro ordinando decenter altari, et reparanda domo illius necessariis. Quia autem cognovimus, in aliquibus Ecclesiis novitios canonicos magnis impensis gravari, quod sacri canones et Concil. Trident. detestantur, volumus imposterum observari, ne in ulla Collegiata Ecclesia ultra quam quinquaginta floreni aurei (dentur) tempore possessionis vel emancipationis, sub poena Excommunicationis tam incurrenda de

facto ab iis, qui plus exegerint, quam qui in proprios usus illam pecuniam vel ejus partem converterint, à qua nisi facta restitutione ei qui dare debuit, non absolventur, inter praesentes autem tantum vinalia distribui permittimus, de quibus dignitatibus quatuor amphorae vini, canonicis duae, vicariis una solvenda sit, nec ultra ea aliquid ab admittendis exigetur.

Decani vero, quia alioquin curam animarum et majus coeteris onus gerunt, imposterum praeter supradicta vinalia tantum novam casulam cum requisitis, et pluviale pro ornatu Ecclesiae procurare debent. Hac tamen nostra constitutione non intendimus aliquid innovare in iis Ecclesiis, ubi nihil vel minus quam dictum est, in admissionibus solvi consuevit, quae augeri sub eadem poena Excommunicationis inhibemus.

Inposterum etiam non debent canonici noviter provisi, nisi duobus annis â die obitus defuncti computandis, reditibus carere, et ab Ecclesia excludi, quorum prior defuncto posterior fabricae cedere debet; si vero aliqua praebenda vel Canonicatus resignatus fuisset seu permutatus, illius possessor non debet nisi uno anno carere obventionibus, quae fabricae erunt attribuendae. Constituimus etiam, ut quotquot canonici

suis Ecclesiis ultra tres menses, vel quatuor ex dispensatione, uti praemittitur, reditus nonnullos percipiant ex canonicatibus, exceptis Praelatis, nisi ratione officiorum, quae per alios curare coguntur, ipsis aliqui fructus solvi consuevisset.

Praelati nihilominus per hanc concessionem non erunt exempti ab obsequiis debitis more aliorum canonicorum, Ecclesiae in choro vel capitulo per se vel per alios canonicos praestandis.

Nullus vero imposterum duos canonicatus sine dispensatione sedis Apostolicae, obtinere possit, eos vero obtinentes intra sex menses eam procurare debent, vel declarandi erunt eis de facto privati.

Nullus etiam possit obtinere duo simplicia beneficia sine dispensatione Apostolica, quia ex in aequalitate praebendarum et canonicatuum in eadem Ecclesia multa inconvenientia oriri necesse est, dum qui iisdem functionibus et ministeriis mancipati sunt, ut convocatis capitulis suis, quam primum singularum praebendarum et canonicatuum reditus designent, qui in unam massam, exceptis obedientiis, quam senioribus optare licebit, redigantur, ex quibus partes aequales pro numero canonicorum constituantur et erigantur. Praebendae si possessores pinguiorum canoni-

catuum induci non possint, ut cedant suis canonicatibus ad aequalitatem, decernimus tamen et publicamus, quod ita servari debeat ipsis ex hac vita decendentibus, vel eorum praebendis quocunque modo vacantibus, quod non ultra aequalitatem sequentibus possessoribus accedere debeat, non obstantibus statutis quibuscunque et consuetudinibus, quibus eatenus per praesentes derogamus, quoniam etiam cognovimus multas esse vicarias et beneficia simplicia, quae singulis hebdomadis multas tenentur ratione fundationum vel consuetudinis celebrare Missas, quae tamen nimis exiles habent reditus.

Mandamus Decanis, ut cum nostro in Spiritualibus Vicario conferant uniuscujusque onera et commoda, et pro horum qualitate constituant numerum Missarum in hebdomada celebrandarum. Illum autem deinceps quilibet vicarius inviolabiliter observare debet, alioquin toties quoties, rationabili causa cessante, omiserit quis sacrum aliquod, subtractione partis fructuum fabricae applicandae, â Decano puniendus erit. Districte vero inhibemus, ne ullus sacris ordinibus insignitus audeat beneficium Ecclesiasticum, ad quod promotus est, resignare, qui vero contra fecerint, ex praescripto sacrorum canonum puniri debent, et insuper

illa resignatio facta nulla esse debet, nisi resignans aliud beneficium Ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel permutatione licita tale consequi possit,

Mandamus etiam et serio praecipimus, ut in favorem factae resignationes nullo modo admittantur, sed ut ordinarii Collatores et Patroni Beneficia ita resignata pro arbitrio idoneis personis conferant, alioquin ad superiorem eorum debeat esse devoluta collatio; factae autem provisiones de resignatis taliter beneficiis nullus sint roboris, et liceat quibuscunque ea impetrare. Quoniam, testante sacro eloquio, salus omnium et vita aeterna â cibo illo coelesti, quem Salvator nobis reliquit in sacramento corporis et sangvinis sui digne manducato pendet. Ne clerus noster in hac parte et cura praecipua, ut par est, remissior sit, statuimus, ut omnes canonici etiam Sacerdotes et quotquot in Ecclesia ministri sint, Imprimis quidem feria 5ta Coenae Domini, deinde Canonici in festes Penthecostes, Assumptionis B. M. Virginis, omnium Sanctorum, et prima Dominica Quadragesimae praevia confessione communicent publicè, Sacerdotes vero illis diebus celebrent, justo impedimento vel absentia legitima cessantibus. Alioquin Decani contra omittentes procedere, et singulos mensis spatio ab ingressu

Ecclesiae et perceptione fructuum suspendere debent, qui si negligentes forent, Vicarius noster in Spiritualibus eorum defectum supplebit.

Quia vero indecens est et temerarium, Ecclesiasticos viros ordine, dignitate et honore á Laicis, et non etiam habitu differre, idcirco serio mandamus omnibus Ecclesiaticis, ut semper vestes proprio congruentes ordini deferant, nimirum ex praescripto Synodalium decretorum tunicellas usque ad genua propendentes, deponantque crispata quaecunque collaria, et curent semper habere tonsuram et coronam clericalem, idque sub poenis â Conc. Trident. Sess. 14 cap. 6. de refor. constitutis, juxta quas si Archidiaconi vel Decani contra inobidientes non processerint, Vicarius Noster in spiritualibus debet ipsorum defectum supplere.

Quod etiam ad honestatem vitae clericalis, vel dignitatem sacri Praesbyteratus ordinis spectat, inhibemus omnibus novellis, sacerdotibus tempore primitiarum suarum sumptuosa convivia instituere, et mandamus ea ita moderari, ut non ultra viginti quinque personas ad ea invitent, in quibus â saltationibus et choreis omnino abstineant, eaque uno die finiantur.

Haec sunt quae vobis mandamus, et unicuique vestrum studiosissime observanda praecipere volumus, aliis nihilominus tam synodalibus, quam Nostris mandatis alias emanatis, in suo robore manentibus, in quorum omnium executione vos morigeros et promptos fore speramus, contra negligentes et refractarios vero quibuscunque mediis procedi faciemus. In fidem et testimonium praemissorum haec manu propria subscripsimus, et sigillo nostro comuniri jussimus. Data in oppido nostro Bonnensi Anno 1616 die 9. Sept.

Nro. IX.

C.

Ejusdem Decreta Reformationis Collegia Secularia Canonissarum Concernentia.

1616.

Ex Apographo p. m.

Ferdinandus Dei gratia etc. Salutem in Domino. Cum collegia secularium ca-

nonissarum antiquitus erecta sint, ut in Ecclesia nomen Dei a sexu foemineo in Virginitatis candore laudaretur, et ut mobiliorum filiae, remotae a laribus paternis, jam ab ipsa infantia quasi in scholis pudicitiae, in modestia et timore Domini adolescerent firmarenturque; experientia tamen didicerimus, procul ab illo laudabili majorum instituto nunc a multis recedi, quod non solum foris, apud externos, dum a Collegiis suis absunt, sed etiam Domi et in Ecclesia, habitu moribus et conversatione, et non raro cum scandalo et dedecore ordinis Ecclesiastici proprique stirpis nota satis manifestant; in quo quidem merito arguere possumus superiores illas, quae lubricae aetati vel conniventia vel certe exemplo ad licentiam praeiverint; Nostri vero officii sit, illarum conscientiis, et vestrae omnium saluti, nec non honori totius ordinis, consulere, abusus quoscunque tollere, et quantum cum Dei auxilio possumus, temporumque horum conditio fert, ad prima statuta collegia vestra reducere; Eapropter, praehibite deliberatione cum Venerabili Capitulo nostro Cathedrali, sequentia vobis decreta diligenter servanda servere mandamus.

Ante omnia autem districte praecipimus Abbatissis, Praepositissis, Decanissis, se-

niorissis, vel quocunque nomine censeantur, quibus regimen in Collegiis tam temporale, quam spirituale mediate, vel immediate, concessum est, ut curam habeant subditarum suarum, curentque eis ita verbo et exemplo praeire et praeesse, ut diligenter ea, quae ad cultum Divinum spectant, perageantur, et quae ad honestorum morum modestiam in cultu, et pudicitiae normam concernunt, domi forisque, quantum in ipsis, studiose curent, in quibus si conniventes vel negligentes fuerint, experientur rigidissimam Divini Judicii in se sententiam, nec tamen Nostram censuram punitionemque condignam effugient.

Divina officia volumus quo ad omnes horas Canonicas ab omnibus praesentibus Canonissis, exceptis infirmis, et quae de speciali licentia superioris absunt, in Choro servari, et ubi in desuetudinem venit, in usum restitui.

Non licebit etiam Canonissis a matutino abesse per vices, prout cognovimus in aliquibus male observari, ut, quae matutinali officio hodie interfuerint, cras abesse possint; hunc abusum volumus sublatum, et ne propter frigus vel tenebras in hyeme junioribus, vel senioribus incommodum obveniat, concedimus ut non ante auroram matutinum inchoare necesse

sit, ita tamen, ut sequentibus Divinis officiis per hanc moram nihil decedat, quod prudentes superiores facile discernent.

Singulis diebus debet unum ad minus sacrum in Collegiis celebrari, nisi in aliquibus plura haberi consuetum sit; et quia indecens est praecipuum in Divinis officiis intermitti, curare debent superiores Collegiorum, ubi Sacerdotibus caret, ut rationem inveniant, qua quotidie possint habere sacrum, quod pro exigentia festorum cantari debet.

Nulla Canonissarum manens apud collegium debet a choro tempore divinorum abesse, nisi cum expressa licentia superioris; quae tamen illam, nonnisi propter infirmitatem, vel alias graves causas, concedere possit.

In Quadragesima et Adventu quia officia sunt longiora, et ideo plurimum praesentia necessaria, ut habeant Canonissae occasionem, devotius se ad festa futura praeparandi, nisi infirmitas Parentum, vel alia gravis urgensque necessitas, arbitrio Superioris disernenda, aliud suaderet, nulli liceat abesse, prout etiam nunquam istis diebus, quando Communio indicta est.

Communicabunt autem omnes, praevia Sacramentali confessione, in festis Paschatis, Penthecostes, Assump-

tionis B. M. Virginis, omnium Sanctorum, Nativitatis Christi, et Dominica prima quadragesimae. Quia autem in Collegiis Vredensi, Borghorst, Freckenhorst et Langenhorst, cognovimus, esse Canonissas non Catholicas, et erroribus a Romana Ecclesia damnatis addictas, illas omnes et singulas imprimis volumus monitas, ut salutis suae majorem rationem habeant, et diligenter investigent de semita, quae ducit ad vitam, quae non est, nisi in Ecclesia Dei sancta Catholica et Apostolica; si vero, quod non speramus, animo obfirmato in erroribus manserint, et ante vel in ipso proximo Nativitatis N. D. festo (quem ipsis peremptorium terminum constituimus) praevia confessione, communionem more Ecclesiae Catholicae non acceperint, quae vel quot illarum fecerint, scire debent, dignitates, Praebendas, seu Canonicatus, quos obtinent, de facto vacare, et a Superioribus, vel quibus competit, mox idoneis conferri debere; ut autem constare possit, quaenam salutari monitioni nostrae morem gesserint, Volumus ut illae testimonium Confessarii sui per superiores suas Nostro in spiritualibus Vicario Monasteriensi transmittant, qui contra omittentes, ut praedictum est, curabit procedi.

Imposterum autem ad illa Collegia nulla cujusque ordinis, et status fuerit, debet admitti, nisi expresse Catholicae Romanae religioni addicta sit, vel parata, in ea institui; quae si decimum quartum aetatis annum habuerit, vel quam primum eum attigerit, debet professionem fidei Catholicae Germanico idiomate, secundum formam Pii Quarti, in Domo Capitulari coram Abbatissa, vel alia superiore facere; quam si tertio monita emittere noluerit, extunc Praebenda sua eam decernimus privatam; Abbatissae vero eandem Professionem infra duos menses a die electionis vel postulationis in propria persona coram Nostro in spiritualibus vicario, vel aliquo ab eo deputando, facere tenebuntur. Nec ante eam Professionem ad dignitatem, nec administrationem nec perceptionem fructuum, per se, vel Procuratores suos, possunt admitti. Decernentes omnia contraria nullius momenti esse et omnino irrita.

Abbatissa et superiores cujuscunque ordinis vel status infra immunitatem Collegii sui semper gestent habitum album consuetum, prout coeterae Canonissae, quas curent habitu antiquo et consueto in et extra Ecclesiam, quando apud eam resident, uti, et siquae innovata sunt ab hominem memoria, illa

aboleri et ad pristinam formam restitui, praebendisque eas destitui faciant. Dum vero foris sunt monentur secum verecundia et sobrietate ornare, et non tam ad vestimentorum ornatum quam ad interiorem animae virtutumquae cultum et decorem attendere.

Mandamus etiam Abbatissis et quibuscunque superioribus, ut diligenter attendant ad resignationes et colationes Praebendarum, ne illae pro pecunia aut munere ex pacto et conventione fiant, quae est detestabilis symoniaca pravitas et Excommunicatione aliisque gravissimis poenis non solum committentes, sed etiam procuratores et mediatores afficit, et si proinde tale quid in collatione vel resignatione vel electione intervenisse adverterint, statim irritum esse decernant, prout nos irritum esse et iniquum decernimus, delinquentes, quam primum Nobis vel Nostro in spiritualibus Vicario denuntient, et dignitates, praebendas, seu beneficia taliter Collata aliis conferri procurent.

Ne etiam Novitiae excessivis impensis graventur, quod sacri Canones et Concilium Tridentinum detestatur, volumus imposterum studiose observari, ne ulla de Canonicatu provisa ultra Quinquaginta Florenos aureos tempore possessionis, vel emancipationis solvere teneatur, qui non

inter praesentes dividi, sed ad Fabricam Ecclesiae et alios pios Collegii usus converti possunt; pro refectione autem vel convivio praesentibus tantum singulis Canonissis unum Florenum aureum, Abbatissis autem et in dignitatibus constitutis, duos dari permittimus; si quid ultra acceptum fuerit, illud injusto titulo detineri et ei a qua provenit, restitui debere decernimus.

Abbatissae et superiores diligenter advigilent, quibuscum Canonissae convertentur, et non liceat ulli, in familia vel convictu suo viros habere, etiam Ecclesiasticos, exceptis Abbatissis.

Non licet etiam Cononissis ullos viros hospitio suscipere, nisi nomina eorum ad Abbatissas, vel ea absente, ad proximam superiorem ante vesperam tulerint, et licentiam obtinuerint; et si quae contra fecerit, et virum vel adolescentem aliquem, etiam sibi proximo sanguine junctum, per noctem domi retinuerit, puniatur, et si ter idem fecerit, privetur. Erunt autem superiores in danda licentia circumspectae, nec sine gravi causa eam admittent.

Non debent etiam permittere in multam noctem commessationes canonissarum cum viris et adolescentibus, multo minus ut choreae et saltationes

in earum aedibus, praesertim de nocte, fiant, quod si factum deprehenderint, severe delinquentes puniant.

Quia canonissarum abbatissae, non aliter quam matres, filiarum suarum debent curam gerere, in hora mortis Deo de eis responsurae: idcirco, quantum in ìpsis est, absentium etiam rationem habere debent, et scire ad quae loca, ad quos homines, ad quae negotia proficiscantur, et ubi morentur; nec ulli liceat abire, nisi petita licentia et supra dictis omnibus significatis, in qua licentia superiores non nimis faciles erunt.

Illa vero collegia, quae Monasteria fuisse noscuntur, uti Honholt, Wittmertzum, et Album Monasterium in Bocholt, debent infra mensem exhibere in copia authentica Vicario nostro in spiritualibus facultatem et exemptionem ab ordine et religione sedis apostolicae, vel si eam non habeant, infra annum procurare, alioquin eo elapso deliberabimus, quid de iis, ad majorem Dei gloriam agendum.

Haec sunt, quae vobis omnibus, et unicuique vestrum, studiosissime observanda praecipere volumus, aliis nihilominus, tam synodalibus, quam nostris mandatis, alias emanatis, in suo robore manentibus. In quorum omnium executione vos morigeras et promptas fore speramus.

Contra negligentes vero et refractarias quibuscunque mediis procedi faciamus. In fidem haec manu nostra subscripsimus, et sigilli nostri subimpressione communiri jussimus. Data in oppido nostro Bonnensi. 9na 7bris Anno 1516 etc.

Ferdinand mpr.

(L. S.)

Arnold Heufft mpr.

Nro. X.

D.

Ejusdem Decreta Reformationis concernentia Parochiales Ecclesias.

1616.

Ex Apographo p. m.

Ferdinandus Dei et Apostolicae sedis gratia S. Rom. Imperij per Italiam Archi-Cancellarius et princeps Elector, Episcopus Monasteriensis et Leodiens. Administra-

tor et Coadjutor Hildesiensis, Paderborn. Bergtesgadens. et Stabulensis, Comes Palatinus Rheni etc. Honorabilibus et devotis Nobis in Christo dilectis pastoribus et Ecclesiarum parochialium quarumcunque rectoribus nec non eorundem capellanis vicariis et beneficiatis per civitatem et dioecesin nostram Monasteriensem constitutis salutem in Domino.

Cum Nostri muneris sit, quaecunque in dioecesi et ecclesiis Nobis subjectis et ad Dei cultum spectant, diligenter curare, atque eis ubi et ubi oportet providere, non minima Nobis cura adhibenda est, ut in ecclesiis parochialibus, quae divina officia, quae sacramentorum administrationem et praedicationem coelestis eloqui concernunt, omnia rite decenterque fiant, ut fidelis populus per illas distributus ad pietatem, justitiam et innocentiam sincere erudiatur, ut sacris mysteriis debitus honor deferatur, et ministri tales se praebeant, ut in dispensatione irreprehensi et immaculati in conversatione reperiantur.

Itaque quae in visitatione hujus nostrae Dioecesis tam quo ad vos quam quoad Ecclesias et officia vestra egere reformatione comperimus, praehabita deliberatione cum venerabili capitulo cathedrali, infra scripto modo emendanda et

imposterum diligenter servanda vobis praescribere et mandare voluimus.

Ante omnia innovamus Mandatum felicis recordationis Antecessoris Nostri, quod provisi de beneficiis quibuscunque teneantur tempore investiturae vel a die adeptae possessionis, ad minus infra duos menses coram nostro in spiritualibus vicario vel Archidiacono orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, nec ante possint fructus facere suos, nec in hoc illis possessio suffragabitur.

Districte inhibemus, ne ullus in futurum sacris ordinibus initiatus audeat beneficium Ecclesiasticum ad quod promotus est resignare. Qui vero contra fecerint, ex praescripto S S. Canonum puniri debent, et insuper illa resignatio facta nulla esse debet, nisi resignans aliud beneficium sufficiens sit adeptus, vel permutatione licita statim consequi possit.

Mandamus etiam et serio praecipimus, ut in favorem factae resignationes nullo modo admittantur, sed ut ordinarii Collatores seu Patroni beneficia taliter resignata pro arbitrio idoneis personis conferant, alioquin ad superiorem eorum collatio debet esse devoluta; factae autem provisiones de resignatis taliter beneficiis, nullius sint roboris et liceat quibuscunque ea impetrare.

Mandamus etiam sub poenis Canonum, ut omnes, qui tenentur de jure vel ex fundationibus suarum praebendarum et beneficiorum, infra proxima ordinationum tempora suscipiant ordines requisitos.

Quotquot autem nondum habent aetatem vel ordines in jure vel fundationibus ut praemittitur, requisitos, nihil imposterum de beneficiorum suorum obventionibus seu fructibus percipere debent, quos omnes volumus ab Archidiaconis colligi, et ad augmentum annuorum redituum ejusdem praebendae seu beneficii applicari, detractis primo expensis pro officiis et sacris debitis, tum etiam pro ornando decenter Altari et reparanda domo illius necessariis. Parochi curabunt, ut in festo S. Marci Ev. per totam Dioecesin feriae sint ante prandium usque ad finem sacri, quo die prout in tribus feriis rogationum Processio cum lytaniis et sacro habebitur, ad quae Parochiani tenebuntur convenire et devote Deo pro necessitatibus Ecclesiae conjunctis votis supplicare: si quis eo tempore servilibus operibus se occupaverit severe puniendus erit.

Festum ex devotione majorum in Parochiis curalibus institutum, vulgo das Hagelfeyr, debet imposterum per totam Dioecaesin uno die, id est in octa-

va Corporis Christi, quandocunque inciderit, cum processione et deportatione venerab. sacramenti celebrari.

Praeterea commemoratio omnium sanctorum cum vigiliis post vesperas ejusdem festi recitandis et sacro, et processione per Coemiterium ipso die servetur, ad quam devote obeundam cum precibus et suffragiis pro fidelibus defunctis populus a Parochis debet diligenter instrui, idcirco omnes etiam tenebuntur a laboribus servilibus usque ad finem sari abstinere; contravenientes autem huic decreto ab Archidiaconis punientur.

Sacerdotes dum portant V. S. ad infirmos quantumcunque ab Ecclesia dissitos, esse debent induti super pelliceo et stola, ex collo dependente, quibus tempore pluviae possint imponere pallium, et debet eis semper praeferri lumen, ipsique secum gestare corporale mundum, quod substernant ciborio.

Ad vitandam autem omnem irreverentiam non debent plures hostias extra civitates et pagos secum sumere, quam quot erunt infirmis distribuendae.

Ante venerabilis sacramenti tabernacula debet lumen continuum noctu diuque ali, et si reditus Ecclesiarum no

habuerint sumptus, pastores cum auxilio, si opus fuerit, Archidiaconorum curabunt eos ex collectis Parochianorum in quibus nemo, cujusque status, debeat esse immunis; implorato, si necesse sit, brachio saeculari. Claves de venerabili sacramento, nullus alius, quam pastor, ejusque capellani habeant, nunquam custos, qui diligentissime curabunt, ut non solum omnia tuta, sed etiam munda sint.

Pastores curabunt singulis mensibus renovari ss. hostias et veteres absumi, nec unquam plures conservabunt, quam putabunt vero similiter necessarias esse.*)

Ablutionem communicantibns non debent amplius pastores ex calice benedicto praebere, sed in eum usum debet proprium vas comparari.

Pro sacramento poenitentiae, publicamus decretum Concilii Tridentini, quod licet praesbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, nullum tamen, etiam regularem, posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale

*) Dieser Zusatz fehlt in 2 andern Abschriften, die ich besitze.

beneficium habeat, aut a nostro in spiritualibus vicario, per examen, si ita videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem in scripto quae gratis detur, obtinuerit, privilegiis et consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus. Cui decreto volumus ab omnibus morem geri, nec cuiquam imposteram pastori licere, adscissere sibi aliquem in socium vel capellanum, vel etiam religiosum in auxilium assumere, nisi, prout praemittitur, fuerit approbatus; qui aliter fecerit, ab Archidiacono, et reliogus, qui praesumpserit, a suo superiore puniatur.

Ut vero facilior omnibus vere poenitentibus ad gratiam et remissionem aditus concedatur, innovamus et publicamus decretum concilii Provincialis Coloniens. Anno 1536 celebrati, quod sic habet: In occultis delictis, et reservatione casuum, compertum habemus, non nihil mali interdum accidere, vel quod peccator non habens in promptu sacerdotem, qui illum absolvat, confiteri vel differt, vel contemnit, vel quod minores aetate sint, vel mulieres, non facile adducantur, ut ex suis parochiis, non sine levi suspicione ad Nos seu commissarios nostros proficiscantur, quacirca, ut consulamus et verecundiae et famae, visum nobis est,

hanc potestatem Nostram, absolvendi a peccatis et casibus nostrae absolutioni reservatis, occultis tamen, omnibus Parochis per Dioecesin nostram constitutis, rite vocatis et approbatis, delegare.

Extremae unctiois sacramentum in usum a pastoribus reduci, severe mandantes omnibus, ut soepius in anno pro concionibus de illo salutari infirmorum praesidio verba faciant, et sub poena excommunicationis, ipso facto incurrenda, praecipimus sacerdotibus, ut postquam aegrotum sacra Eucharistia munierint, ipsum commonefaciant, et si opus sit, obsecrentur, ne sine illa unctione sacramentali, et praesenti contra infestationes sathanae remedio, extremi agonis periculo se exponere velit.

Praedicationis munus in quacunque Ecclesia, etiam regularis sibi non audeat usurpare, nec pastores quempiam possint etiam pro una vice admittere, sine nostri in spiritualibus vicarii licentia, in litteris autem commendatitiis religiosorum, quas obedientias vocant, si fiat mentio ejusmodi obtentae licentiae a Vicario, iis fides adhibenda erit.

Mandamus etiam serio iterum omnibus pastoribus*), ut diligentiores sint in

*) Eine andere Abschrift hat: Rectoribus.

docendo pueros, et rudiores cathechismum et fundamenta fidei nostrae singulis dominicis et festivis ante vel post prandium in parochiis ruralibus, vel in civitatibus et oppidis post prandium, et inhaereant modo praescripto, alias in libello, nostro mandato edito. Si vero Pastores negligentes fuerint, toties quoties duabus Marcis Monasteriensibus ab Archidiaconis debent mulctari.

Pixides pro Chrismate et sacris oleis nonnisi ex argento interius deaurato, vel saltem ex stanno confici debent; quotquot autem ex cupro vel aere sunt, amoveantur, nec earum fit amplius usus.

Ut vera de purgatorio doctrina*) in nostra dioecesi restituatur nec piae defunctorum animae suffragiis vivorum defraudentur, mandamus omnibus pastoribus et ecclesiarum parochialium rectoribus, ne imposterum funera adultorum post prandium sepulchris inferant (excepto tempore pestis vel alterius luis et quando certum est exequias proximis diebus celebrandas esse) sed ante illud, quando debent ipsi vel alius ce-

*) Andre Abschr. lesen „Ut vero purgatorii doctrina“: andre „Ut sana de purgatorio doctrina“.

lebrare sacrum pro defunctis, et sub eo exhortari circumstantes ad frequentem memoriam mortis, et orationes, aliaque charitatis officia pro mortuis praestanda. Quando sacrum cantabitur, dabuntur pro praesentiis Pastori quinque solidi, et custodi duo, si legatur sacrum Pastor accipiet duos, custos unum solidum, nisi consuetum sit et in sepulturis et exequiis plus solvi. Pauperum debet haberi ratio, nec ab iis quidquam erit exigendum.

Inhibemus vero prolixas illas funebres ex cathedra conciones, quibus animabus defunctorum parum utilitatis accedit, nisi tales personae fuerint, quorum obsequia et merita pro patria et republica christiana ad aedificationem et exemplum fidelium possint recenseri et laudari. In coemiteriis vero nullae debent fieri exhortationes.

Postquam autem praescripto modo sepultus fuerit defunctus, nolumus relictos vel haeredes defuncti amplius ad exequias adstringi, sed in arbitrio et devotione cujusque erit eas servare vel omittere.

Volumus etiam et serio mandamus, ut in omnibus ecclesiis duo libri habeantur, alter, in quo nomina bapti-

zandorum cum parentibus et patrinis, alter, in quo novorum conjugum nomina cum denunciationibus et testibus describantur. Qui libri postmodum in archivis ecclesiarum diligenter debent asservari.

Demum quod ad mores spectat, quia indecens est, et temerarium, ecclesiasticos viros ordine, dignitate et honore a laicis et non etiam habitu differre; idcirco mandamus vobis, ut semper vestes proprio congruentes ordini deferatis nimirum ex praescripto synodalium decretorum tunicellas usque ad genua prominentes, deponatisque crispata quaecunque collaria, et curetis habere semper tonsuram et coronam clericalem. Idque sub poenis a Concilio Tridentino constitutis, juxta quas: si archidiaconi vel decani contra inobedientes non processerint, vicarius noster in spiritualibus debet ipsorum defectum vel negligentiam supplere.

Quod etiam ad honestatem vitae clericalis vel dignitatem sacri praesbyteratus ordinis spectat, inhibemus omnibus novellis sacerdotibus, tempore primitiarum suarum sumptuosa convivia instituere, et mandamus ita ea moderari, ut non ultra viginti quinque personas ad ea invitent; in quibus a salta-

tionibus et choreis omnino abstineatur, eaque uno die finiantur, in qua volumus archidiaconos in synodalibus*) inquirere.

Haec sunt quae vobis omnibus et unicuique vestrum studiosissime observanda praecipere volumus, aliis nihilominus tam synodalibus quam nostris mandatis, alias emanatis, in suo robore manentibus. In quorum omnium executione vos morigeros et promptos fore speramus, contra negligentes vero et refractarios quibuscunque mediis procedi faciemus. In fidem et testimonium praemissorum haec manu propria subscripsimus et sigillo nostro communiri fecimus. Data Anno 1616 die 9na Septembris.

Ferdinand mpr.

(L. S.)

Arnold Heufft mpr.

*) al. Synodis.

Nro. XI.

Puncte, welche bei einer Bischöflichen Visitation der Canonessen-Stifte untersucht wurden.

(1616.)

Ex Director. Archidiacon. Monast. Ms. p. m.

Wie heiſst das Stift, wie der Kirchen-Patron?

Ist es gemäſs seiner Fundation freyweltlich, oder hat es dazu ein Privilegium?

Im lezten Falle muſs das Privilegium beygebracht werden.

Wie heiſst die Abtissinn?

Wie viel adeliche Praebenden giebt es darin?

Was für Praelaturen, oder Aemter?

Wer vergibt die Praelaturen, Aemter, Praebenden?

In welchem Alter werden die Jungfrauen zu den Praebenden zugelassen?

In welchem Alter können sie die Einkünfte genieſsen?

In welchem Alter werden sie Capitularinnen?

Sind eine, oder andere in mehreren Stiftern praebendirt?

Haben solche auch dazu Dispensation?

Werden auch andere Religions-Verwandte zu den Praebenden zugelassen?

Wird für die Collation Geld gegeben.

Wie viel?

Werden deswegen auch Vor-Contracte, oder Handschriften gemacht?

Wird bey angehender Possession, oder nach den Schuljahren, oder bey der Emancipation Geld gegeben? Wie viel?

Wozu wird es angewendet?

Steht den Praebendirenden frey, ihre Praebenden auf andere zu resigniren?

Wird auch beym Antritt der Praebende das Katholische Glaubens-Bekenntniss abgelegt?

Sind alle jetz praebendirte Jungfrauen Katholisch?

Sind sie alle gefirmet?

Wie oft, und wem beichten sie?

Ist auch eine Schul, und Schulmeisterinn für die Jungfrauen vorhanden?

Lernen sie auch den Cathechismus, und andere Stücke, die ein Christenmensch wissen mufs?

Hören sie alle Sonn- und Feyertage die Predigt?

Werden alle Aemter, nämlich Mette, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Ve-

sper und Complet täglich auf dem Chor gehalten?

Wird täglich die heil. Messe gelesen, oder gesungen?

Sind alle Jungfrauen dabei gegenwärtig?

Werden Memorien und Vigilien für die Abgestorbenen gehalten?

Giebts noch andere fundirte Gezeiten? Werden sie dem alten Brauch nach abgehalten?

Werden die Jungfrauen verpflichtet, allen Gezeiten beyzuwohnen? Oder welchen, und warum wirds gestattet, draus zu bleiben?

Werden wegen Gastmahle, oder wegen Freunden zuweilen einige Gezeiten ausgelassen?

Sind einige Jungfrauen nachlässig im Chor-Dienst? Werden sie auch gestraft? Wie?

Wie lange darf eine Praebendirte von dem Stifte abwesend seyn?

Weiſs es die Frau Abtissinn, oder andere Obrigkeit, wohin die abziehenden sich begeben, und bey welchen Leuten sie sich aufhalten?

Können sie ein ganzes Jahr abwesend seyn und doch etwas von den Einkünften genieſsen?

Verlieren diejenige etwas, welche ein Zeitlang mit Erlaubniss abwesend sind?

Werden täglich gewisse Praesenzen den Anwesenden im Chor ausgetheilt.

Können die Jungfrauen auch an den hohen Festen, in der Faste, und Advent anwesend seyn?

Residiren die Abtissin, Pröbstin, Dechantin, und andere, die Aemter haben, allezeit bey dem Stift?

Haben die abwesenden Jungfrauen auch Breviaria bei sich und lesen täglich die Gezeiten?

Haben sie eine gemeinschaftliche Wohnung, Tafel und Schlaffzimmer? oder hat eine Jede ihre besondere Wohnung und Haushaltung? Wie viel sind deren?

Haben die Jungfrauen ehrlich und Katholisch Gesinde?

Haben sie auch Manspersonen darunter; wozu brauchen sie deren?

Werden die Häuser alle in gutem Stande gehalten?

Dürfen die Jungfrauen allerley Gäste beherbergen, oder müssen sie selbe zuvor der Abtissinn, oder anderer Obrigkeit anmelden?

Werden auch in ihren Häusern in der Nacht Gasterey und Tanz gehalten.

Hat auch Jemand unter ihnen Böses gerücht wegen verdächtigen Umgang mit Mannspersonen? Thut in einem solchen Falle, die Frau Abtissin, oder andere Obrigkeit zeitlich mit Ernst Einsehen?

Leiden die Jungfrauen auch unter ihrer Gemeinschaft und Stift, Personen, so gefallen sind? Was verordnen die Statuten darüber?

Stehet es allen, auch den Praelatinnen frey zu heyrathen?

Tragen sie in, und aufser der Kirche die Habite, welche ihre Vorfahren von Alters her vermöge der Statuten getragen haben, oder ist daran etwas verändert?

Stehts ihnen frey, alle Zeit weltliche Kleider zu brauchen?

Haben sie auch überflüssige Pracht in den Kleidern?

Machen einige durch überflüssige Unkosten Schulden?

Hat die Abtissin, oder andere Obrigkeit Acht, dafs die Jungfrauen sich in Schulden nicht vertiefen?

Wird auch Capitulum Disciplinae gehalten? Wie oft? Was wird dabei verhandelt?

Sind die Jungfrauen ihrer Obrigkeit alle gehorsam? oder haben einige Verbündnifs gegen ihre Obrigkeit,

die Frau Abtissin und andere? Sind einige unter ihnen uneinig?

Mahnet eine Jedwede ihre Einkünften selbst ein? oder ist dazu ein gemeiner Amtman?

Ist dieser und andere Diener des Stiftes Katholisch?

Geschieht jährlich getreue Rechnung?

Hat das Stift Schulden? Woher sind diese entstanden?

Sind einige Stifts-Güter verkauft, oder sonst veräufsert? Wozu ist der Kaufpfennig verwendet?

Ist die Kirche in gutem Stande? Wer mufs selbe unterhalten und mit den nöthigen Zierathen versehen?

Können die Jungfrauen ein beliebiges Testament aufrichten? Werden dazu besondere Executoren ernennet? Wovon bekommen diese ihre Macht und Commission? Legen sie ihre Rechnung ab? Wann? Währt es wohl über ein Jahr, dafs testamenta, oder legata pia executirt werden?

Wenn eine Jungfrau kein Testament macht, wem fallen ihre Güter zu?

Empfangen die Jungfrauen auf ihrem Todesbette das Sakrament der lezten Oelung?

Wie viel Nachjahren haben die Verstorbenen?

Hat die Frau Abtissin ein **Archidiaconat**? Durch welchen läfst sie dasselbe versehen? Hat sie auch Beneficia, so Seelsorge haben, zu conferiren?

Sind auch Canonici und Vicarii auf dem Stift? Wie viel? Wer ist Oberster? Gehören sie mit den Jungfrauen in ein Capitul? oder haben sie ein besonderes? Ist gegen dieselbe einige Klage ihres **ungebührlichen** Lebens halber? Thuen sie ihren Diensten und Aemtern auch genug?

Anm. Daß diese Vorschrift, welche sich ganz auf obige Urk. Nro. IX. beziehet, von Erzbischof **Ferdinand** entworfen sei, unterliegt wohl keinem Zweifel. Man sieht hieraus, wie aus der Urk. Nro. IX., auch den Verfall der freiweltlichen Damenstifte unserer Dioecese in jener Zeit. —

Nro. XII.

Schreiben des Erzbischofs Ferdinand von Cöln und Bischofs zu Münster an das Münstersche Domkapitel, worin er diesem sein Wohlgefallen darüber zu erkennen giebt, daß die Clerisei bei der Prozession mit dem Allerheiligsten sich nicht mehr schwarz kleide; auch dasselbe ersucht, dahin zu wirken, daß die Geistlichen die unanständigen schwarz-sammeten spitzigen Hauben ablegen, und statt derselben des schicklichern Barets sich bedienen.

1646.

Ex Apogr. ejusd. aetat. p. m.

Ferdinand etc.

Es hat vnſs des Herrn Bischoffen zu Oſsnabrück Ld. mit mehreren berichtet, was gestalt vnſsere zu des gemeinen wesens besten vnd erlangung des werthen friedens angestelte deuotion mit Ew. Vorwiſsen vnd belieben mit erstem vollnzogen werden solle, maſsen wir des erfolgs, vnd weſsen Ihr Euch mittbesagten Herrn Bischoffs Lbd. (den wir dan darüber gebuerendt requirirt, vnd vnſsere gnedigste gemuthsmeinung vmbstendtlich vberschrie-

ben) vergleichen werdet, mit erstem erwarten.

Nun haben aufs dessen Ld. vns abgestatteter relation gerne ersehen, dafs Ihr auff vnfser alfs des Ordinari vnd Ew. Bischouen ratification dahin entschlossen, dafs coram venerabili Sacramento der Clerus hinfhuro in nigris nitt mehr compariren solte, gestalt dan bey iungst vorgangener grofsen Procession der würckliche Anfang bereitz gemacht, vnd gereicht vnfs solche Ew. Wilfährigkeit vnd Eiffer Euch cum Ecclesia Romana vnd anderen Kirchen, beuorab bey diesen so ansehnlichen Conuente, dahe so vielerley Catholischer Landen frembde Nationes beisahmen, auff die Ceremonias vnd Vniformitatem zu bequemen intendirt, zu gnadigsten Gefallen vnd sonderbarer Consolation, da auch die Zeiten vnd weltkündige Vnruhe vnfsere Persohnliche gegenwahrt bey dasigen vnfserm Thumbstifft so viele Jahre nit gehindert wurden, wir gewifslich nit vnderlafsen haben bey vnfserm Thumbclero wegen der Ceremonialien vnd andern mifsbrauchen besser an- vnd abstellung zu uerordtnen. Vnder defsen wir aber zumahle nicht zweiffeln wollen, Ihr zu vnfserm gnädigsten Gefallen, vnd wie obbesagt, zu sonderbarer Consolation,

auch zu Ew. selbst eigenen ruhmb auf diesem Eweren walintentionirten eiffer bestendig verharren werdet. Was etwan von Euch selbsten zu mutiren guet befunden, oder von dem Herrn Nuncio wolmeintlich erinnert, wir auch von bemelten Herrn Bischoff Ld., als anitzo vnsers Haupt-Gesandten alda, oder vnserm Vicario zu vnserer intention diensamb vnd befürderlich erachtet würde, in gebürende obacht nemmen, wie wir sonderbar gern sähen, auch hiemit begeren, dafs quoad habitum exteriorem Cleri, sonderlich in der Statt, ein jeder befurderen thäte, beuorab aber die vnartige schwartz sammete spitzige hauben, zumale selbige einem geistlichen gar nit anstehen, ablegen, vnd das rechte insigne clericale der viereckter Huet, gestalt alhie bey vnfserm Ertzstifft Cölln auch andern Suffraganeat Kirchen, Zu Lüttig, Ofsnabruck, Minden vnd Hildesheimb bereitz geschehen, angenohmen würden. Ist also vnser gnedig begeren hiemit, Ihr darauff bedacht sein wollet, dafs solch vnsere wolmeintliche, Euch vnd den geistlichen Standt rühmbliche intention, bey Künfftigem Capitulo generali fürderlich secundirt werde, auch etwan eines gewifsen Termini vnder welchem ein

Jedtweder sich dazu bequemen könte, solches anzufangen Euch vergleichen theten, mafsen vnsere gentzliche Zuuersicht in allen obangezogenen puncten zu Euch gestelt, alfs wollen wir zu seiner Zeit Ewere antwort vnd respective relationes erwartten vnd gegen Euch in gnaden mit denen Euch vorhin sampt vnd sonders wolgewogen, zu erkennen vnuergessen sein.

Bonn den 14. July 1646.

Nro. XIII.

Merkwürdige Verordnung Christoph Bernhards, Bischofs von Münster, gegen den ärgerlichen Concubinat der Geistlichen.

1651.

Ex Autographo typis exarato p. m.

Christophorvs Bernardvs, Dei Gratia Electus Episcopus et Administrator Monasteriensis. Vniuersis et singulis Cathedralis Nostrae Ecclesiae, Monasteriorum et Collegiatarum, Parochialiumque Prae

latis, Abbatibus, Praepositis, Prioribus, Decanis, Canonicis, Rectoribus, Curatis et non Curatis, aliisque Personis Ecclesiasticis, Ciuitatis et Dioecesis Nostrae Monasteriensis, Salutem in Domino sempiternam.

